



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. VI. De Cessatione a Divinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

aut percutere mandet, a jure latum est interdictum locale generale; Sicuti etiam si Civitas exigat gabellas a personis Ecclesiasticis de rebus ipsarum exportandis; necnon si personæ Ecclesiasticæ manifestis usurariis domos concedant. Secundo, latum est interdictum personale generale, si Capitulum dimissorias concedat infra annum; si ab Ecclesiasticis exigantur tributa: Si appelletur a sententiis Papæ ad futurum Concilium: Si Ecclesiasticis decimæ imponantur, vel ab iis exigantur: Demum incurrit interdictum personale speciale usurpans de redditibus Ecclesiæ vacantis; Necnon Episcopus, vel Abbas alienans bona Ecclesiastica contra Bullam Paulinam. Item violans Interdictum locale; & Prælatus in visitatione recipiens ultra concessa; Necnon Clericus in Sacris, qui in crimine fornicationis jacet.

ARTICULUS VI.

De Cessatione a Divinis.

- I. *Neque censura, neque pœna est Cessatio a Divinis, sed imponitur in signum mœroris ob gravem injuriam Ecclesiæ, aut Divinis honori illatam.*
- II. *In multis ea differt ab interdicto. Probabiliter tamen que permittuntur tempore interdicti localis, permittuntur etiam tempore cessationis a Divinis.*
- III. *Probabiliter tempore Cessationis non prohibetur Sacra sepultura, que sine funebri officio fiat.*
- IV. *Præter causam gravissimam plurima conditiones requiruntur, ut indici possit Cessatio a Divinis.*
- V. *Cessationem hanc indicere potest is, qui ferre potest interdictum; Et que tolli solum potest ab eo, qui illam tulit, aut a Superiore, vel successore. Eiusque effectus, non se-*

cus ac effectus excommunicationis, vi juris communis sunt inseparabiles.

I. **Q**uæritur primo; Quid sit; Et in quo differat ab interdicto Cessatio a Divinis?

Respondeo, Cessationem a Divinis (quæ & Suspendio Organorum dicitur) non esse censuram, nec pœnam, sed meram prohibitionem Ecclesiasticam, ob quam Clerici cessare debent a divinis officiis, & a Sacramentorum administratione in certo aliquo loco, excepto casu necessitatis; Idque in signum gravissimi mœroris ab Ecclesiæ concepti ob gravem aliquam injuriam Ecclesiæ, aut Divino honori illatam; ut sic injuriosus cogatur satisfacere Ecclesiæ læsæ; ut explicant Laym. & Suar. disp. 39. ex Clement. 1. de Sententia excommunicat.

II. Quare Cessatio a Divinis differt ab Interdicto. Primo quia non est censura, nec pœna proprie dicta, nec unquam a jure imponitur, sicuti Interdictum. Secundo, quia interdictum afficit immediate semper personam aliquam, quæ sua culpa dedit causam interdicto, non vero Cessatio a Divinis; Unde posita cessatione a Divinis, quilibet potest in aliis locis Divina celebrare. Tertio, Clericus agens per exercitium Ordinis Sacri contra interdictum incurrit irregularitatem; at si agat contra cessationem a Divinis, peccat quidem mortaliter, non tamen incurrit irregularitatem. Quarto, Privilegia concessa circa interdictum, verbi gratia, quod Clerici possint quotidie celebrare cum moderationibus in cap. *Alma Mater*, non habent locum in Cessatione a Divinis, ut communiter docent cum Suar. disp. 39. sect. 2., & Laym. contra quosdam Canonistas; etenim a diversis non tenet illatio. Ex æquitate tamen juris multi probabiliter do-

X 2 cent.

cent, quod tempore cessationis possint Divina officia solemniter celebrari in quatuor illis festivitibus, ac in Octava Corporis Christi Domini, & in festo Conceptionis; quia in cap. *Alma Mater*, talis facultas videtur concessa tempore interdicti ob reverentiam istarum festivitatum; unde potest probabiliter extendi ad tempus cessationis; Et quamvis tempore cessationis videatur solum concessa facultas administrandi Sacramentum Baptismi parvulis, & Penitentiae moribundis, adjuncto etiam Viatico; nihilominus etiam ex aequitate juris concedunt multi, posse tempore cessationis administrari ea omnia Sacramenta, quae possunt tempore interdicti generalis: Immo certum est, posse in singulis Ecclesiis celebrari unum Sacrum per hebdomadam, ad renovandam Eucharistiam pro moribundis.

III. Quæritur secundo; An tempore Cessationis a Divinis prohibita sit Sacra Sepultura, sicut tempore interdicti?

Respondeo, Avil. dub. 10., Henr., Bonac., & alios affirmare: Negant vero Suar. loc. cit., Con. dub. 7., & alii, cum nullo jure id prohibeatur tempore cessationis, ne laicis quidem, dummodo sine funebri officio fiat.

IV. Quæritur tertio; Quam ob causam, & sub qua forma indici possit cessatio a Divinis?

Respondeo, solum indici posse propter gravissimum delictum publicum, & contumaciter perseverans adversus commune bonum Ecclesiae, verbi gratia, adversus ejus immunitatem. Ista autem conditiones requiruntur, ut notat Con., Prima, ut in Indicante sit legitima potestas. Secunda, ut causa sit evidenter justa, & proportionata. Tertia, ut evidenter constet talem causam esse datam; etenim cum ces-

ratio a Divinis ferat gravissima incommoda, requirit causam gravissimam, & evidentem, quae aliter emendari non possit; & ideo ferri non potest, nisi ad frangendam alicujus contumaciam; ac proinde jura volunt debere relaxari, statim ac delinquens paratus est satisfacere. Quarta, ut causa cessationis exprimat aliquo instrumento munito publico sigillo. Quinta, ut hoc tradatur parti, contra quam fertur. Sexta, ut pars ita monita rogetur, quod velit satisfacere. Septima, ut posita cessatione, utraque pars saltem per Procuratorem ad Pontificem accedat, ut coram eo causa disceptetur, nisi pars intra mensem parata sit satisfacere: Si tamen is, qui tulit cessationem mense elapso Romam non iverit, cessatio ipso jure relaxatur. Quamvis autem Con. putet, quod Prælatus non teneatur post mensem Romam mittere, ut Romana Sedes de remedio provideat, ne diu Ecclesia a Divinis cesset in detrimentum fidelium; Communius tamen Doctores contendunt, Episcopum ad id teneri. Octava conditio est, ut quando Capitula, aut Conventus cessationem indicunt, omnes, qui habent vocem, convocentur, sicut in electionibus; ut convocati de re tota deliberent. Ultima, ut major pars Capituli judicet, cessationem esse indicendam. Ista autem conditiones colliguntur ex cap. *Si Canonici 2.*, & ex cap. *Quamvis 8.*, de *Officio Ordinarii in 6.*; ubi dicitur, cessationem non esse observandam, si is, qui cessationem tulit, ista omnia non servaverit.

Notandum tamen primo, ista omnia requiri, quando Conventus, aut Capitula cessationem indicunt, non vero quando eam indiceret Prælatus; Qui tamen videtur sex priores conditiones ex natura cessationis debere observare, cum non possit aliter

ter constare de contumacia ejus, pro quo fertur cessatio; quamvis non teneatur Praelatus monere partem per instrumentum publico sigillo munitum.

Notandum secundo, quod qui sine sufficiente causa cessationem indicit, privetur omnibus fructibus, quos tempore cessationis deberet percipere, & teneatur satisfacere parti laesae. Quod si iuste indicitur, pars, contra quam fertur cessatio, tenetur cessantibus satisfacere de damno, quod interim subeunt, cum non possint consueta officia peragere.

V. Quæritur demum; Quinam possit indicere, aut tollere cessationem a Divinis?

Respondeo, is, qui potest ferre Interdictum; atque adeo is, qui Episcopalem, aut similem Episcopali jurisdictionem habet in foro externo, potest indicere cessationem, ut com-

munitur docent apud Suar. disp. 39. sect. 3.: Aliquando tamen cessationem præcedit censura interdicti, ut prohibitio sit arctior; Aliquando vero imponitur pura cessatio sine interdicto.

Præterea cessationem tollere potest, qui illam tulit, aut Superior, aut Successor, ne Tribunalia turbentur; nam cessatio solum ab homine, & non a jure fertur. Tolli autem potest sive simpliciter, sive ad tempus pro beneplacito. Solus Papa potest illam quoad aliquos tantum effectus suspendere; quia effectus cessationis sunt a jure communi inseparabiliter connexi inter se, sicut effectus excommunicationis. Per legitimam appellationem suspenditur cessatio, antequam executioni mandetur, cum per appellationem impediatur jurisdictio imponentis: Post executionem vero nonnisi relaxatione tollitur, ut diximus de censuris in genere.

Q U Æ S T I O VIII.

De Irregularitate.

Quamvis Irregularitas non sit censura, de ea tamen communiter Doctores disputant post censuras, quibus valde affinis est; cum pariter sit actus clavium, seu Ecclesiasticæ potestatis. Quæremus itaque primo, Quid, & Quotuplex sit? Secundo, Quam ob causam incurratur? Tertio, Quinam possit Irregularitatem imponere? Et erga quos? Quarto, an dubium excuset ab Irregularitate? Quinto, quomodo tollatur? In postrema vero quaestione descendendo ad Irregularitates in particulari, agemus de Irregularitatibus tum ex delicto, tum ex defectu.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Irregularitas?

I. Irregularitas est moralis inhabilitas persona ad Ordines recipiendos, & exercendos.

II. In quo differat a censuris, & a Depositione, ac Degradatione.

III. Nonnisi duo sunt effectus Irregularitatis; Videlicet Ordinum suspensionem, & Usus impedire.

IV. Irregularis illicite quidem sacramentaliter absoluit, sed non invalide, si bona fide ad illum poenitentes accedunt.

V. Beneficiarius irregularis ad quid tenetur? Illicite, & irritanda potius est, quam irrita Beneficii colla-